



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Ephemeris Ecclesiastica Concionatorvm Hoc Est Considerationes Methodicæ Sev Veritates Practicæ

Ex Vita Domini Jesu, Sanctorumque Gestis In Singulos anni dies mira
facilitate & solertia distributæ ... ; Cum indicibus necessariis

Pars Verna - A Dominica Septuagesimæ, ad Dominicam SS. Trinitatis

Haineuve, Julien

Coloniæ Agrippinæ, 1665

Ad Evangelium Feriæ. De diligendis inimicis, & de justitia nostra non
facienda cora[m] hominibus.

urn:nbn:de:hbz:466:1-44214

ita sola autem sanctitas, ipsius est Divinitatis participatio, Christi Domini similitudo, inchoata felicitas, summum hominis bonum, **UNUM DENIQUE ILLUD NECESSARIUM** sine quo nulla reliqua, & quod solum sine aliis bonum & beatum hominem reddit. *Nescit homo pretium eius, ait Job, excelsa & eminentia non memorabuntur in comparatione eius. INFINITVS enim thesaurus est hominibus, inquit Sapiens, quo qui usi sunt, participes facti sunt amicitia Dei, propter disciplina dona commendati. LABORES huius magnas habent virtutes: sobrietatem enim & prudentiam docet & Iustitiam, & virtutem, id est, fortitudinem, quibus utilis nihil est in vita hominibus.*

Job. 28.

Sap. 7. & 8.

Ac proinde si te Boni præstantia movet ad sui cultum & studium, quid excusare potes à non colendo illo Bono, quod præstat cæteris? quid excusare potes, quod non ex teipso intelligas tecum pugnare? Væ animæ audaci, quæ neglecta sanctitate speravit se aliquid melius inventuram!

III. PUNCTUM.

QUI te igitur à sanctitate acquirenda excusas, ex aliis acquisitis bonis vel acquirendis te condemnas, quia quidquid excusas, hoc ipso in te retorquetur ad manifestam tui condemnationem, quo illud ipsum & gravius fateri cogis in illis naturalibus inesse bonis, quæ non propterea deseris sicut Virtutem & Sanctitatem. Et pro eis sanctifico meipsum, aiebat Dominus, ut sint & ipsi sanctificati in Veritate. O Verba! Verba sancta, & sanctificantia! quasi diceret, Tanti Ego facio Sanctitatem illam, quam meis opto, ut propterea non dubitem me præparare ad mortem, & me in ea subeunda totum immolare.

Joan. 17.

Poteratne efficacius indicare, quanto illam

PRO EADEM FERIA QUADRAGESIMALI.

Ad Evangelium, de diligendis inimicis: Et de Iustitiâ nostrâ non faciendâ coram hominibus, Math. 5.

VERITATES PRACTICÆ.

Si quid videretur difficile, quod dixit Christus, hoc ipso redditur facile quod Christus dixit.

haberet in pretio? potuitne verò sic loqui, sic orare, sic affici, & nobis quantum ex sua parte est, non obtinere quod orabat & quod volebat? Itane pro cæteris bonis semetipsum sanctificat & immolat? Itane pro mihi commendanda & impetranda scientia, sanitate, divitiis, & quibuslibet naturalibus donis? Et cum hæc ita pateant, tu impotentiam tuam excusabis! tu difficultatem objicies! & tu tanquam alienum aliquid, Sanctitatem repelles, & aliud quodcumque bonum tanquam nobilius, tanquam utilius, & facilius conquires & ab acquirendo non desistes! O Christi sententia quam longè sunt à nostris dislita!

Sed quod addit Dominus, non minus est expendendum: *Ve sint & ipsi sanctificati in Veritate*, Id est, non frustra velim hæc mea esse dicta & facta! non sine suo fructu & fine: Finem huic autem mihi proposui, ut sint & ipsi sanctificati in Veritate, ut quod in ipsis est faciant, sicut ego quod meum est, non omitto: ut seipso etiam propterea immolent sicut ego, ut nulli propterea parcant labori, nullis sumptibus, nullis studiis, nullis curis. Toti denique sint in una Sanctitate mecum colenda, conquirenda, comparanda. Hoc est se Sanctificare in Veritate, se propterea totum immolare, sese totum huic dare studio; neque in bonis alia ducere nisi quantum nobis Sanctificandis profunt, ac proinde si quæ huic fini obsunt, tantum illa in malis habere, quantum Sanctitati obsunt. *Qui timent Dominum, Ecclesi. 1. preparabunt corda sua, & in conspectu illius sanctificabunt animas suas. HÆC omnia sanctis Ibid. 39. in bona, sic & impiis & peccatoribus in mala convertentur.*

Vide in 1. Parte, Dominica 3. post Epiphaniam: ubi hæc declaratur Veritas: *Non dixeris per Deum abest.*

Vide & in Iudiciis Verbo, *Sanctitas.*

Qui suam Iustitiam facit ut videatur, maximum

nam, quæ fieri potest, iniustitiam videtur facere.

In 3. Parte, Feria 5. 6. & Sabbato Hebdomada quinta.

Ex 1. parte, possent nonnullæ huc aliæ revocari.

Injuriam infert Gratia maximam, qui proferenda injuria non certat fortiter.

In die sancti Stephani.

Inimici nostri magis prodesse possent odio, quam profuiissent obsequio.

In die sanctorum Innocentium.

Injuriosum est Christo, si nulli quidem velis inferre injuriam, nolis autem illatam ferre. Die 16. Januarii.

Ex hac 2. parte, quamplurimæ his affines occurrent in sequentibus Quadragesimæ hebdomadis, singulis pene feriis, quæ legendo percutri possunt, ac ipsa etiam Dominica Palmarum.

Nec non rursus ex 3. parte, quæ de Beatitudinibus exhibentur.

S A B B A T O.
 DE EFFICACI DESIDERIO, ET
 Cura Salutis per media ordinata sicut illam
 desideravit & curavit Christus
 Mediator noster.

AD HÆC EIUS VERRA.

Pater, quos dedisti mihi, Volo ut ubi sum ego, & illi sint mecum, ut videant claritatem tuam. Ioan. 17.

VERITAS PRACTICA.

Si ordinatis ad salutem Mediis non uteris, Mediatore Christo abuteris.

RATIO EST, Quia tunc Mediatore Christo abuteris, quando frustra tibi de illo promittis. Sed si ordinatis ad salutem mediis non uteris, frustra tibi de illo promittis.

Ergo & sic Mediatore Christo abuteris; Quod certe est expresse scendum.

I. P U N C T U M.

Admiranda Vox illa, quæ Christus utitur loquens Patri, VOLO, Volo, inquit, ut illi sint mecum. Nec certe videretur esse vox propria orantis & supplicantis Christi, qui, ut ait Apostolus, pro sua reverentia exaudivit, nisi aliquid mysticum & singulare esset in illa voce. Sic ergo est, sic ex-

pressè loquitur, sic sapienter ait se velle, ut intelligamus, quod à nobis intelligi maxime cupit, in quo positum sit verum desiderium seu voluntas efficax procurandæ salutis nostræ; nempe in his omnibus perfecte adimplendis, quæ ordinata sunt ad illam salutem procurandam. Cum enim proximis passioni ac morti suæ sic loquitur de salvandis, volo, pater, ut sint mecum, perinde est, ac si diceret, en paratus sum facere & pati, quidquid pro eorum salute à te est ordinatum. Vis me tradi & vendi ab uno è discipulis meis? Volo. Vis me tanquam latronem ligari, & trahi ad tribunalia judicandum? Volo. Vis me illic accusari, & condemnari velut reum? Volo. Vis me flagellis ut vile mancipium cædi? Volo. Vis me in purpurea veste, & corona spinea velut ridiculum regem ludibrio ad omnem profus infamiam, ostentari? Volo. Vis me crucis supplicio condemnari, crucem propriis bajulare humeris, inter latrones crucifigi,

L 2

atque